

ENCOMION

*Et gnatum genuere pium, studijsq; dicatum
Qui Gomeri. genssem rexit sacro ordine pagum,
Interemistarum furijs eiectus iniquis
Venerat in patriam, officijs seruiuit honestis
Maluit hic etenim teneram formare iuuentam
Interemistarum quam falso dogmate monstrum
Horrendum, informe, & vanum, & cui lumen ademtum
Sectari, constans tantâ pietate Sebastus
Constitit, & Christum sincera mente professus
Vir pius & doctus, qui linguas calluit olim
Hebraeam, cum Romano sermone, Pelasgam
Nec non & docto conscripsit pollice linguas
Cuius adhuc monumeta manu conscripta supersunt.
Hinc iterum petijt, quia vox defecerat ipsum
Vt Gomeri. genssi, sincero dogmate, pago
Seruiret, veteri pro consuetudine templo.
Obtinuit votum: sic concedente Senatu.*

An. 1548. 29. Septemb. Ludimagister fuit.

Quatuor linguarum peritus fuit Sebast. Maurer.

An. 1557. die Ascensionis vltimâ concionem habuit & valedixit patriæ.

Sebast. Maurer Junior natus est An. 1544. 18. Decemb. Ioannes Schradinus concionator Reutlingensium fuit. An. 1561. 2. die Ianuar. D. Mart. Luther scripsit ad Reutlingenses binas literas.

*Mille ubi quingentos, & septem expleuerat annos
Lustra decem Christus certo sub tempore natus
In pagum migrans patriæ valedixerat urbi
Et gnatum nobis patrio cognomine dictum
Liquerat, & multos de posteritate nepotes.
Posthæc Schradinus patriam reuocatus ad urbem
Ex Mompelgarto, per mille pericula rerum
Mox templi summi fit concionator, & urbis
Præsul, & Antistes sic pleno nempè Senatu
Eligitur, fessus tandem cum pace quietem
Tranquillam coluit, dum lumina clauderet aui.
Scripsit ad hanc urbem (nec me legisse pigebit)
Ipse suis manibus diuina voce Lutherus
Scilicet vt maneat constanti pectore firma,
Et fidei tueatur opus, conseruet amorem,*

Et